



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLVI. Ioannis Papae VIII. Ad Gaiderim Principem Beneventanvm.
Consolatur eum de damnis ab Agarenis illatis. auxilium pollicetur, seque in
eius partes venturum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

dum venire contempserit. Pro quo dignam debueratis correctionis sustinere censuram, cum a sede apostolica vobis semper fuisset collatum præsidium, & vos nullum in quibus oportebat stuperteris præbere solatum, nunc autem, si ad eamdem Synodum venire contempseritis, scito te canonicam a nobis in vos velut inobedientes promulgari sententiam.

EPISTOLA CLVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GAIDERIM PRINCIPEM BENEVENTANVM.

Consolatur eum de damnis ab Agarenis illatis. auxilium pollicetur, seque in eius partes venturum.

Dilecto filio Gaideri glorioso principi Beneuentanorum.

EPISTOLAS sane a vestra dilectione transmissas cum parte gratulationis, fateor etiam & moeroris accepi; quantoque in eis gaudens exultaui vestram deuotionem intimo mentis affectu circa obsequium sanctorum apostolorum Petri & Pauli compertam, tanto nihilo minus triste pastorali solicitudine tuli, pressuris, atque Agarenorum deprædationibus terræ vestræ auditis: quapropter cum vase electionis compellor dicere, & lacrymabiliter exclamare: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vor? sed inter hæc meminisse debemus illius qui ait: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quoniam ego vici mundum: & apostolus: Maior est qui in nobis est, quam qui contra nos est. Quocirca dilectissime fili, hortor, admoneo, apostolica auctoritate suadeo, interim patienter Domini misericordiam deprecando continuis obsecrationibus malorum sufferre grauamina. Quoniam nos, Christo opitulante, ad patriæ vestræ liberationem pro virium facultate tantum præ ceteris mortalibus habebitis adiutorem enixius, quantum attentius compatimur. quod rebus ipsis præsentialiter * sub redderemus, nisi in itinere penitus hoc tempore equorum pabula defecissent, quibus statim gressus mouere in veniendo prohibemur. Sed Redemptoris nostri gratia duce, peracta solennitate paschali, venire ad vestras partes accelerabimus; & vna vobiscum positi, quidquid consilii, quidquid solatii, atque adiutorii pro Christiani*

*2. Cor. 11.**Ioan. 16.**1. Ioan. 4.***f. dñs.
dat.*

populi liberatione adinuenire poterimus , libentissime
procurabimus. Optamus gloriam culminis vestri in Chri-
sto semper bene valere. Data vt supra.

EPISTOLA CLVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD AIONEM EPISCOPVM.

Commendat eius erga se obseruantiam. certiores eum
de sua incolumitate reddit , tum consolatur
de obitu fratris.

*Reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro Aioni venerabili
episcopo.*

QUOD veneranda fraternitas tua pro sanctarum Dei
ecclesiarum subleuatione longe ab Urbe aliquamdiu
nostram absentiam benigna animi compassione condoluit,
viscera mentis suæ repleta Christi caritate patenter ostendit,& debitam, imo mutuam dilectionem sanctis Dei apostolis per nos condigne studuit conseruare , a quibus procul dubio meritorum retributionem in finem recipiet. So-
spitatem , quam in nobis vestra sitibunde atque ardenter
requirit fraternitas , Domino donante , eam parte corpo-
ris aliquatenus habere videmur ; sed inter tot fluctus mundi , tantisque vndarum procellas , quæ salus istius vitæ po-
test esse saltem ad momentum tranquilla ? præfertim inor-
te vestri germani audita , vestris filiorumque carissimo-
rum tam crebris tribulationum angustiis. Sed inter hæc
nos conuenit toto conamine mentis ad illam patriæ cæle-
stis vitam corda sustollere , in qua pax semper ineft , & ve-
ra securitas : quoniam *quamdiu sumus in corpore*, iuxta Apo-
l. Cor. 5.
stolum , *peregrinamur a Domino*, vobis vestræque patriæ , se-
cundum officium a Deo nobis collati ministerii , pro vi-
rium possibilitate inhianter cupimus impertiri solatium.
Data vt supra.